GONORRHOEAE ET SYPHILIDIS NATURAM HAUD DIFFERRE, ARGUMENTIS PROBATUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

FRIDERICUS JACOBUS HIRSCHBERG
STARGARDIENSIS.

OPPONENTIBUS:

PRAUSNITZ, MED. ET CHIR. DR.
DIEK, MED. ET CHIR. DR.
MICHAELIS, MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

AMICO INTEGERRIMO, DILECTISSIMO

FR. J. BEHREND,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, APUD BEROLINENSES MEDICO, CHIRURGO ET OBSTETRICIO

HASCE PAGELLAS

ANIMO SINCERRIMO

OFFERT

AUCTOR.

INDEX

auctorum, quorum opera de nostra materie sunt evolvenda.

Schwediauer, vollständige Abhandlung über die syphilitischen Krankheiten. A. d. Franzős. von Dr. W. H. Hoven 1r. Theil. Ludwigsburg 1799.

Girtaner, Abhandl. über d. vener. Krankheit. IIIte Aufl. Götting 1797. Bd. I.

J. A. Tode, nöthige Erinnerungen für Aerzte und Kranke, die den Tripper heilen wollen. Kopenhagen 1777.

Duncan medicales cases 1778. Uebers. in Tode's medicin. chirurg. Biblioth. Bd. VII. Hft. I.

B. Bell, Abhandlung über den bösartigen Tripper u. d. vener. Krankheit. A. d. Engl. 1794.

C. H. Ritter, Darstellung der scheinbaren Aehnlichkeit und wesentlichen Verschiedenhenheit, welche zwischen der Schanker und Tripperseuche wahrgnommen wird. Leipzig 1819.

Fried. Alex. Simon, Versuch einer kritischen Geschichte der verschiedenartigen, besonders unreinen Behaftungen der Geschlechtstheile. 1r. Theil die Geschichte des Trippers enthaltend. Hamburg 1830.

G. F. Handschuch, die syphilitischen Krankheitsforformen und ihre Heilung. München 1831.

INTRODUCTIO.

Circumspiciens de argumento quodam medico, ad conscribendam dissertationem inauguralem idoneo, non alienum fore putavi, si, permultis ductus observationibus, quas de variis Syphilidis formis et gonorrhoeae sequelis ipse collegi, in commercium inquirerem, quod gonorrhoeam inter luemque universum intercedere mihi videtur.

Magna inter auctores celeberrimos, qui hac de materie disseruerunt, viget dissensio, num lues et gonorrhoea (qua voce, ut melius intelligar, consulto usurus sum) morbi sint affines eandemque naturam profitentes, utrum,

si eadem nitantur indole, varios ac differentes syphilides formas exhibeant, an denique sistant aegritudines tam forma quam indole discrepantes. Consideratis hisce controversiis, si rem dirimere non audeam, pro viribus tamen leve suffragium albumque calculum eorum auctorum sententiae adjicere conabor, quibus et ratio et observationes meae adstipulari me jubent.

At vero, ut in ventilandis hisce rebus normae alicui adstringar, ea momenta innuam necesse est, e quibuscen fundamentis, argumentationes deducam, quae sententiam meam confirmare valeant.

Primum enim demonstrare oportet, gonorrhoeam non modo luem universam sequi posse, sed vere secutam esse; quibus enim commonstratis, satis firmari puto eorum opinionem, qui gonorrhoeae et syphilidis universae indolem vix non esse eandem contendant. Nemo autem est, quod equidem scio, qui syphilidem sua sponte, i. e. infectione haud praegressa, oriri non posse, largiatur; quod in me-

moriam revocare oportet, ne lues universa, si profluvium gonorrhoicum secutam descripsero, sua sponte exorta esse videantur.

Plurimum interest, si recte judico, ut quibus conditionibus lues universalis sicuta sit gonorrhoeam et cur tam raro sequatur, enucleare studeamus, quibus indagatis, facili apparebit negotio, quemnam locum inter syphilidis formas gonorrhoea obtineat.

Quum haud exiguus sit exemplorum numerus, quibus luem syphiliticam gonorrhoea productam equidem observavi, quam plurimum attentionis studiique huic materiae, de qua controversiae jam dudum inter medicos agitantur, impendere pretium duxi, ut ratione et experientia adjutus, quantum possem, ad dirimendas lites conferrem.

Prae omnibus inter esse mihi videtur, ut, quod in introductione obiter jam annotavi, partim conditiones, sub quibus lues universa gonorrhoeam sit secuta, experientia et observatione ducibus dirimantur; partim causa, quod rarius sequatur, ex hoc fonte deducatur (in qua quidem re litigationis cardo versari videtur); partim denique praecepta stabiliantur therapeutica, itaque locus, quem gonorrhoea respectu nosologiae et therapiae in morborum syphiliticorum numero sibi vindicet, definiatur atque res, si unquam possit, ad liquidum perducatur. — Quae

omnia, ut pro virium modo exponam, haud mora periclitabor.

Primum autem dispiciamus necesse est, quanam ratione generatim morbi syphilitici primarii in secundarios abire soleant, et numne argumenta nobis obtrudantur, quae gonorrhoeam et ulcera syphilitica (cancrosa vulgo dicta), quod attinet originem, iisdem legibus nosologicis obtemperare probent.

Syphilidis primariae in secundariam transitus semper fere, si recte equidem judico, effici solet metastasi morbi localis, crisi perfecta non resoluti. Communis enim omnium medicorum experientia satis abunde probat, si ulcus syphiliticum primarium remedio quodam externo incaute et intempestive conglutinetur, paulo post bubones, tum faucium ulcera vicaria exoriri; rarissime autem luem emergere secundariam exquisitam, dum localis morbus primitivus persistat. E quibus, ut obiter memorem, facile patet, solam syphilidis primariae curationem externam semper esse inimicissimam ideoque prorsus repudiandam.

Singularem dicta mea confirmandi opportunitatem in caritatis nosocomio Berolinensi, clinicen

frequentans syphiliticam, nactus sum. Quotiescunque aegrotantes, ut quam celerrime valetudinem recuperarent, ad sananda ulcera cancrosa remediis externis, quae singularibus tantum casibus respondentia, nonnunquam a medicis imperantur, usi erant, non multo post, imo interdum subito, bubones aliaeque affectiones syphiliticae primitivis ulceribus successerunt. Illustrissimus Kluge, qui hac de re locupletissimas collegit observationes, nullo non tempore hoc expertus est ideoque tironum attentionem ad hancce rem advertere ac de incauto remediorum externorum usu monere haud desinit. Ut fidem faciat monitis, exemplum notatu dignissimum enarrare consuerit. Aliquando sibi accidisse tradit, ut, licet curandi methodus aptissima administraretur, in omnibus mulieribus, curationi antisyphiliticae traditis, ulcera faucium secundaria, generatim luis secundariae symptomata, observarentur. Vix expoentissimus (Kluge), summa hujus phaenomeni admiratione perculsus, mox autem veram rei rationem suspicans in ejus causam accuratius inquisivit et mulierem quandam ex aegrotantium numero, quae praxin factitabat clandestinam, sodalibus suis unguentum e sapone nigro et calce confectum, ad ulcerum sanationem maturandam exhibuisse comperit.

Nemo est, qui ignoret, testiculorum tumores gonorrhoeam subito depulsam frequentissime excipere profluviumque suppressum non sine difficillimo negotio restitui, nec non ophthalmias gonorrhoicas, quanquam rarius; incauta atque temeraria illius profluvii obstipatione induci. In memoriam incidit exemplum singulare, ante non multum temporis mihi obvium, quippe quo gonorrhoea derepente suppressa metastasin efficeret ad articulum et excitaret coxalgiam, quae, instaurato profluvio gonorrhoico, feliciter prompterque cessit.

Tam ex hic, quam multis aliis, quae medico praxin factitanti fere quotidie offeruntur, ratiocinium ducere liceat, morbum syphiliticum primitivum ad praestandas metastases quam maxime esse opportunuum iisque demum viam muniri ad luem secundariam.

Luem universam multis in casibus excepisse gonorrhoeam, sat magnus exemplorum numerus confirmat, quorum haud pauca mihi ipsi innotuerunt. Ante breve enim tempus sese obtulit casus, quo, suppressa gonorrhoea, post dimidium annum condylomata lata circa anum et exanthema syphiliticum universale cum incipientibus doloribus osteocopis

apparerent. Quanquam aeger diligentissimo submitteretur examini, neque tamen ulla cicatricula praegressi ulceris, nec aliud mali primitivi vestigium detegebatur. Sunt equidem, qui localem infectionem effici posse dicant latrinis aut similibus, nihil autem est, quod hisce nos adstipulari jubeat? — Ante annum dimidium in clinico chirurgico, quod celeberrimus Rust moderatur, homo sese obtulit, qui omnia exhibens syphilidis secnndariae symptomata, nosocomium adierat, nec ulla unquam venerea affectione laboraverat, nisi gonorrhoea, quam incipientem ante annum balsami Copaivae usu repercusserat.

Quum inficias ire nequeamus, rariora esse exempla, quibus secundaria syphilis sequeretur gonorrhoeam, utplurimum ergo luem universalem pendere ab ulceribus aliquando praegressis, causam in eo collocandam existimo, quod gonorrhoeae focus in superficie secretoria satis ampla cernatur, quod secretio critica uberrima organismo sit derivationi, qua natura facili negotio praestet sanationem, nisi crisis ista violentis injuriis, v. c. externis remediis obstipantibus, coerceatur. Quodsi ab antiquissimis inde temporibus ad recentissima saecula auctores gravissimos axioma promulgasse meditamur, nullam

affectionem syphiliticam sine artis auxilio (si latissimo sensu haec accipias) posse sanari, imo vero specificis opus esse remediis ad instaurandam valetudinem, ex hoc therapeutico axiomate (etiamsi ejus dignitati nihil posset detrectari) perperam de morbi nosologia conolusiones esse deductas; facile intelligimus, cur gonorrhoea, secundum axioma illud cum syphilidis notione haud consentiens, e morborum venereorum numero sit relegata, omisso scilicet respectu singularis organi affectionis, cui facilior sanatio debetur.

Duncan et Tode, summa pollentes auctoritate, primi exstiteruut, qui argumentis permoti infra allegatis, ad quae etiamnum omnes provocant, qui naturam syphiliticam gonorrhoeae derogare solent, hancce affectionem ad morborum venereorum catervam pertinere inficiarentur. Argumenta illa Lectorum arbitrio et examini submittentes, breviter despiciamus, num sententiae dictorum auctorum faveant, utrum refrangentur.

I) Numquam gonorrhoeam excepit lues.

II) Gonorrhoea ut plurimum sanatur naturae beneficio, syphilis nunquam non artis auxilia reposcit.

III) Mercurius syphilidi medetur, neutiquam gonorrhoeae.

IV) Non eodem tempore syphilis atque gonorrhoea exortae sunt.

V) Neque mucus gonorrhoicus ulcera syphilitica, neque ulcerum venereorum secretum gonorrhoeam profert.

Ad I. Hoc effatum ab omni experientia abhorret; non solum enim multi scriptores enumerarunt exempla, contrarium probantia, sed nosmet ipsi plura eaque indubita observavimus. Quales conditiones in casibus a nobis observatis locum habuerint, succincte describamus: vel critica gonorrhoeae secretio externis internisve remediis suppressa, vel, quod rarissimum fuit, materiae gonorrhoicae resorptio vasis alicujus ruptura in stadio inflammatorio adjuta erat. Symptomata secundaria his in casibus ex toto iis analoga erant, quae ulcera syphilitica excipere consueverunt, nec unquam observavi luem gonorrhoicam, i. e. catervam symptomatum singularium, longe differentium ab iis, quae alias syphilidis primariae formas sequuntur, qualem Ritter in libro infra citato

descripsit. Huber de Ritteri theoria haec optime disserit: „morbi historiae, inquit, operis calci subjunctae certo certius contestantur, lineamenta illa, quibus Ritter luis gonorrhoicae imaginem depingit, e magno exemplorum a variis hominibus desumtorum numero esse collecta morbumque idealem ex iis concinnatum. Hacce exempla maximam partem ea sunt, ut totae vitae ratio, cui indulgebant aegroti sexcentas suppeditaret causas, quibus talis cachexia posset induci. Quam si derivare mavis a gonorrhoea, plures ante annos praegressa, quam a rebus in propinquo positis, partim persistentibus totumque vegetationis processum offendentibus, nullius est difficultatis, luis gonorrhoicae imaginem effingere."

Praeterea Ritter, ad confirmandam specificam luis gonorrhoicae naturam, nulli curationi mercuriali, ne potentissimae quidem, hancce luem cedere asserit. Quibus rebus haud pauci fortasse, si logices praecepta minus stricte sequantur, Huberi sententiam multo magis firmari judicabunt.

Hoc certo constat, nam disertis experientia testimoniis comprobatum scimus, temerariam aut repentinam gonorrhoeae suppressionem metastases inducere, quae, si neque testiculorum tumorem, neque

ophthalmiam gonorrhoicam repraesentent (quod quidem saepius fieri solet), luis universalis symptomata promunt.

Ad. II. et III. Natura pariter syphilidi ac gonorrhoeae medetur; saltem specificis remediis artisque auxilio sensu latissimo ad debellandam luem veneream opus non est. Probe intellexerunt recentiores, hydrargyrum non solam esse syphilidis Panaceam; ceteroquin neque gonorrhoeae neque luis remedium absolute specificum sistit mercurius: etenim in Caritatis nosocomio Berolinensi exempla observavi, quibus syphilis ne potentissima quidem curatione mercuriali posset coerceri. — Nemo certe erit nostratum, qui luis venereae curationem perinde ac gonorrhoeae universalibus medendi indicationibus adstringi debere, diffiteatur; quodsi enim reliquae syphilidis primariae formae (ad cavendam luem secundariam) multo magis artis auxilio indigent, quam gonorrhoea, causa, ut jam supra commonstrare studii, in singulari organi, quod gonorrhoea obsidet, affectione cernitur, quippe qua natura secretionem criticam copiosam, derivatione salutarem orpori, moliatur.

Ad IV. Dr. Simon indubitatis argumentis histo-

ricis, gonorrhoeam omni tempore exstitisse, nominatim ante syphilidis in Europa manifestatione viguisse, in aprico posuit. Quae si vera sunt, omnino nobis persuadere oportet, gonorrhoeam existere, coitu inductam, indolis syphiliticae expertem, quippe quae sine ullo cum lue venerea commercio per se viguerit. Num vero sufficiat hoc momentum ad vindicandam specificam contagii gonorrhoici, quale hodiernis temporibus est, naturam, in suspenso est; nos quidem diffitemur, quum observationes, quae gonorrhoeae syphilidem succedere docent, utriusque contagii nexum et analogiam in luce ponant. Non temere igitur suspicamur, gonorrhoeam primitivam modificatione syphilitica esse temperatam. Quis inficiari audeat, ante luis venereae manifestationem bubones jamjam exstitisse? quis vero inde ratiocinium ducat, bubones syphiliticos hodie non dari?

Ceteroquin diagnosis profluviorum ex vagina irrumpente syphilide tantas recepit difficultates, ut, quamquam in multis casibus infectionis fontem, i. e., vaginam investigandi opportunitatem nactus sis, ad evidentiam tamen dirimere nequeas, an gonorrhoea inde exorta naturae syphiliticae ex toto expers sit. In Caritatis nosocomio Berolinensi haud raro nobis sese obtulit occasio, aegrotum inficientem at-

que infectum observandi, e quibus apparuit, profluvium exile, benignum, quod videbatur, saepe cancrosa ulcera gravissima cum gonorrhoea producere posse, Kluge omnia hujusmodi profluvia communi denotat nomine herpetica (quod enim ad ipsum attinet profluvium, effectum putat syphilidis cum alia quacunque dyscrasia complicatae) ulceraque ex hoc fonte emergentia ulcera herpetico-syphilitica nuncupat, quorum diagnosis praesertim eo eruitur, quod magis superficiaria sunt, quam profundiora petunt; majorem ergo ambitum obtinere solent.

Quum certa criteria, quibus gonorrhoeam syphiliticam et non syphiliticam distinguamus, nobis haud suppetant, ne in iis quidem exemplis, nonnunquam quibus infectionis fons potuit explorari; quum porro, quod certissimae docent observationes (Simon), gonorrhoeas tam levioribus quam gravioribus symptomatibus conspicuas exceperit lues universalis, certe curandi methodum id respici jubet, ne, gonorrhoeam coitu inductam indolis syphiliticae plane expertem judicemus.

Ad V.) Nosmet ipsi repetivimus experimenta ab Hunter et Harrison (cf. Schwediaur l. c. pag. 59.) primum instituta, quorum ille, facta muci gonor-

rhoici insitione, ulcus cancrosum, hic autem ichore, ex ulcere syphilitico desumto, in urethram immisso, gonorrheam oriri comperit; utriusque experimenti eventus exspectationibus nostris respondit.

Non ex toto vituperandi sunt, qui probandi vim horum experimentorum suspectam esse dicant; etenim:

1) Contagium insitione in corpus delatum alia ratione agat necesse est, quam quod per coitum cum eo communicatur.

2) Omnium ulcerum in pene occurrentium species plurimum alit similitudinis et hydrargyri muriatici corrosivi ope, quod ipsi sumus experti, ulcera venereis similia produci possunt.

3) Experimentis, circa contagii insitionem institutis, luem universalem haud vidimus inductam, licet homines experimentis submissi sibi ipsis derelinquerentur.

Quanquam igitur nobis persuaserimus, dictorum experimentorum eventum non certa suppeditasse argumenta, quae eandem contagii gonorrhoici ac

syphilitici naturam esse probent, lucis tamen aliquid e periculis illis redundasse videtur in modum, quo gonorrhoea praestat infectionem. Ad nostrum enim aevum omnes fere medici persuasum habuerunt, contagium gonorrhoicum in urethram irrepere, nominatim in fossam navicularem ibique nrethritidem excitare syphiliticam; omnia quoque prophylactica id moliuntur, ut vel protinus post coitum coitum lotio misso contagium, quod irrepsisse putant, abluatur (quod quidem plerique faciunt, at sine fructu), vel injectis quibusdam materiis, contagium animale destruentibus, vis ejus aboleatur.

Equidem materiam gonorrhoicam, urethrae orificio caute vitato, cum latiori penis superficie communicavi et resorptione contagii foris exorta, gonorrhoeam existere vidi. Quibus quidem experimentis circumspectissime institutis, suspicionem concepi non temerariam, contagii gonorrhoici resorptionem perinde ac syphilitici foris effici, neque igitur mictum, neque meterias singulares, protinus post coitum in urethram injectas, a gonorrhoica infectione corpus tutum praestare posse, quum prophylactia remedia, si nostris experimentis fidem habeas, in superficiem externam agere oporteat. Insitionis experimenta instituentes, remedia prophylactica,

quae receptum contagium abolere ejusque efficaciam suspendere dicuntur, experti sumus et pericula de chlori connubiis instituta haud rara esse vidimus, quippe quae Coster (Froriep's Notizen l. c. pag. 23.) nuperiori tempore pro solo eoque certissimo remedio prophylactico habet idque experimentis sibi persuasum esse asserit. Ceteroquin spiritum vini non minus auxilii praestare, quam chlorum, comperimus; certo autem dirimere nequimus, num hocce remedium tantummodo sit purgatorium, utrum chemicam vim exserat, i. e. decomponat. Cani enim, quod Coster etiam fecit, ulcus syphiliticum insitione excitavimus et vini spiritum adhibuimus, quo facto vulnus simplex evasit; altero vero in casu, quo vini spiritus omittebatur, ulcus malignum syphiliticum e vulnere emersit. Similia experimenta, circa gonorrhoicum contagium instituta, eundem praebuerunt eventum. Materiarum injectiones in urethram supervacuas existimo, quum, quod mihi videtur, urethra locum non exhibeat, quo contagium recipiatur. Ceteroquin, etiamsi urethra contagii gonorrhoici receptaculum sisteret, spiritus vini externe adhibitus injectionum vices supplebit, quippe quo applicato, penis admodum erigitur stimuloque exorto multa muci in urethra secreti moles profluit,

et si re vera contagii aliquid in urethram irrepserit, haud dubie aufert.

Quodsi in genere existant remedia, quae ab infectione syphilitica corpus tutum praestare valeant, et si e propositis experimentis de absoluta talium remediorum possibilitate atque dignitate concludere velis, quum, ut Handschuchii verbis utar, „turgescentia illa partium sexualium et vitae sensiferae exaltatio, quae ambae inter et ante coitum observantur, ad infectionem pertineant": sane spiritus vini optimum et simplissimum offert remedium, et, quod maximi est momenti, me judice supervacuas reddit injectiones in urethram, quae etiamsi exoptatum praestiterint effectum, in universum tamen, prophylaxis causa adhibitae, plus obsunt, quam prosunt.

E contagii syphilitici natura, quippe quod certissime fixum sit atque torpidum, et, quam primum ingrediatur, organismum, nonnisi topicam exserat efficaciam, ratiocinandum esse arbitror, magis minusve longum hujus veneni et organismi contactum requiri, priusquam a vasis lymphaticis suscipiatur. Unum modo referam exemplum, a Fricke observatum, quod peritissimi viri, ut Kluge, experientia confirma-

tum sciunt. Fricke curandum suscepit hominem, ulcere syphilitico malignissimo infectum; percontatus feminam inficientem, per quatuordecim dies eam observavit, sed nullum syphilidis vestigium detexit. Haud dubie igitur, quod Fricke etiam opinatur, contagium syphiliticum citra ullum effectum per longius tempus in vagina reconditum fuit. Alii medici plura hujusmodi exempla retulerunt.

Oblata occasione hic apposui observationes meas de remediis contagium syphiliticum destruentibus, quae stricte quidem huc non pertinent, attamen insitionis experimentis commodo subjungi potuerunt.

Quod vero cardinem hujus scriptiunculae attinet, nimirum conamina mea, contagii syphilitici et gonorrhoici indolem aequalem insitionibus probandi, hoc profiteamur necesse est, insitiones hunc in finem institutas esse supervacuas, quum plurimae jam docuerint observationes, duorum virorum, amplexus venereos cum muliere aliqua celebrantium, alterum gonorrhoea, alterum eodem fere tempore ulcere syphilitico infici posse. Facillime tales observationes colligere licet in Institutis clinicae syphiliticae dicatis, in quibus haud raro inficiens aeger cum infecto simul curantur. —

Si omnia hactenus proposita complectimur, sententiam profiteri oportet, gonorrhoeam pariter morbum exhibere syphiliticum, ac ulcera cancrosa et condylomata. — Qui contagium gonorrhoicum specificum vindicant arti nostrae male consulunt, eodem enim jure proprium contagium ulceribus cancrosis et condylomatibus tribuere poteris, nam omnes istae morbi formae sedis atque decursus varietates offerunt. Quis demum est, qui hoc negaverit, si morbum nunc blennorrhoeae, nunc ulceris, nunc pseudoorganisationis effigiem repraesentare viderit? quis autem, re accuratius pensitata, varias hasce formas eundem exitum sortiri debere putaverit? Proinde persuasissimum habeo, gonorrhoeam quod attinet ad ejus naturam, ad morbos pertinere syphiliticos, quod ad formam autem, nunquam transire in luem, nisi fuerit suppressa.

VITA.

Ego Friedericus Jacobus Hirschberg, Borussus occidentalis, veteri fidei addictus, anno MDCCCVI Stargardiae natus sum, patre, Henrico Hirschberg, quo inexorabile fatum morte praematura me privavit, matre pietate maxima colenda e gente Josephiana. Admodum juvenis, annum vix decimum tertium agens, a patre Regiomontum missus, Gymnasium Fridericanum ibi florens per septem frequentavi annos. Examine, quo maturum me praestiteram, superato, civium academicorum numero in alma litterarum universitate Viadrina a Cel. Treviranо t. t. rectore magnifico adscriptus et in album facultatis medicae relatus sum.

Per annum ibi moratus, Regiomontum redii et per integrum annum praelectiones professorum celeberrimorum scholas adii. Anno interposito Berolinum me contuli et Rectore Magn. Hegel, Decano medicorum ordinis Cel. Wagner medicinae studiosorum numero adscriptus sum. Per quadriennium in tribus litterarum universitatibus professores Cel. has disciplinas mihi tradiderunt:

Vratislaviae: Osteologiam, Syndesmologiam. Splanchnologiam, Neurologiam, nec non artem cadavera rite dissecandi — Cel. Otto. — Angiologiam — Cel. Barkow. — Chemiam — Cel. Fischer. — Botanicen — Cel. Treviranus. — Physiologiam — Cel. Purkinje. — Plantarum anatomiam — Cel. Henschel. — Chemiam organicam — Cel. Fischer. —

Regiomonti: Anatomiam totius corporis humani, necnon artem cadavera rite dissecandi — Cel. de Baer. — Anatomiam generalem — Cel. Burdach. — Zoologiam — Cel. de Baer. —

Physiologiam — Cel. Burdach. — Materiam medicam — Cel. Richter —

Berolini: Pharmacologiam — Cel. Brandt et Ratzeburg. — Chemiam experimentalem — Cel. Mitscherlich. — Physicen — Cel. Ermann. — Pathologiam et Therapiam generalem — Cel. Hecker. — Artem formulas medicas convinnandi — Cel. Casper; cujus ab exercitationibus pharmaceuticis quoque non abfui. — Pathologiam et Therapiam specialem — Cel. Hecker. — Artem obstetriciam; chirurgiam generalem; artem fascias applicandi — Cel. Kluge. — Aciurgiam — Cel. Kluge. — Chirurgiam universam — Cel. Rust. — Morbos infantium — Cel. Casper. — Pathologiam et Therapiam specialem — Cel. Horn. — Exercitationibus clinicis interfui, medicis, chirurgicis et ophtalmiatricis, nec non obstetriciis et syphiliticis virorum Bartels, Wolf, de Graefe, Rust, Juengken et Kluge.

Quos omnes praeceptores clarissemos et

doctissimos pio gratoque animo semper venerabor.

Tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1) *Gonorrhoea syphilitica et non syphilitica dignosci nequeunt.*

2) *Syphilidis remedium specificum non datur.*

3) *In febri nervosa remedia interna nil valent.*

4) *Gonorrhoea non meram sistit urethritidem.*

5) *Cholera asiatica est morbus acutus, sed neque inflammatio, neque febris.*

6) *Inter chronicos et acutos morbos limites incerti.*

7) *Quodsi, qui Cholera asiatica laborant, mingunt, et, morbo durante mingere pergunt, signum bonum est.*